



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P.|| VINCENTII|| BRVNI, SOCIE-||TATIS IESV,|| BREVIS  
TRACTATVS|| DE SACRAMENTO|| POENITENTIAE,**

**Bruno, Vincenzo**

**Coloniæ Agrippinæ, 1598**

**VD16 B 8664**

De Conditionibvs Confeßionis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59993](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59993)

**DE SACRAMENTO**  
recuperandam gratiam, idcirco neces-  
se est, quantum fieri potest, confiteri  
Sacerdoti ut virtute clauium peccata  
dimittantur.

### DE CONDITIONIBVS

#### *Confessionis.*

**Q**VATVOR sunt principales con-  
ditiones Confessionis ut sit valida,  
nempe, ut sit integra, diligens, fidelis,  
& obediens.

**P**RIMO debet esse integra. Necessa-  
rium enim est Sacerdoti manifestari  
omnia peccata mortalia, quæ quis cõ-  
miserit, & quorum potuit recordari, ex-  
plicando vnumquodq; in particulari  
secundum suam speciem & numerũ,  
ut infra dicetur, sic ut Confessarius  
cuiusq; grauitatem possit intelligere,  
& dignoscere, sitne mortale an venia-  
le. Quod vero ad peccata venialia at-  
tinet, etsi hominem non priuent gra-  
tia Dei, & sine peccato possint taceri,  
nihilominus valde utilis est ea quoque  
confiteri, ut demonstrat vsus piorum  
& spiritualium hominum.

**S**ECUNDA Condicio est, ut sit Dili-  
gens, hoc est, ut homo, antequam ad  
Confessionem accedat, diligenti con-  
scientiæ examine ad eam se præparet,  
ad



POENITENTIAE. 13

ad quam diligentiam alij plus, alij minus obligantur, prout ratio temporis quo confessus non est, vel cōditio & occupatio hominis postulauerit.

TER-TIA est, vt sit Fidelis, id est, vera & syncera, nempe vt neque omittat confiteri vllum peccatum quod commiserit, nec vllum confiteatur quod non commiserit, sed dicat dubia pro dubijs, & certa pro certis: Debet quoque esse fidelis, hoc est, nuda & simplex, non artificiosè composita, aperiendo syncerè omnia peccata, non excusando, tegendo, vel extenuando rem vllā. *Humilibus enim, vt alicubi scri 1. Pet. 5* ptum est, Deus dat gratiam.

QVARTA & vltima Conditio est, vt sit Obediēs, hoc est, vt Pœnitēs habeat propositum faciendi quicquid ei Cōfessarius iniunxerit, vt videlicet peccatorum suorum remedia, quæ ille suggererit, acceptet, vt omnes fugiat occasiones, quæ ab eodem prohibitæ fuerint similiter vt restituat, si quam rem alienam retinet, aut satisfaciat omnibus ijs, quibus aliquid debet, & denique vt æquo animo pœnitentiam suscipiat, quæ à Confessario imponetur.

DE